
HISTORIAM
DE
IVVENE PERVERSO A IOANNE CONVERSO

EX CLEMENTIS ALEXANDRINI LIBRO
QVIS DIVITVM SALVVS FIAT
OBSERVATIONIBVS HISTORICO - THEOLOGICIS ILLVSTRATAM
PRAESIDE
IO. ANDREA SCHMIDIO
ABBATE MARIAEVALLENSI
SS. TH. D. EIVSDEMQ. ET ANTIQQ. SS. PP.
ORDINIS SVI SENIORE
A. D. XXV. IANVAR.
CONVERSO PAVLO S.
IN SOLENNEM ERVDITORVM DISQVISITIONEM
PONET
RESPONSVRVS AVTOR
GEORG. LEOPOLD. PONATVS
OSTERODANVS SS. LITT. STVD.





HELMSTADII,
STANNO HAMMIANO MDCCX.



I. N. D. N. I. C.

PROOEMIUM.

Veritatem, in profundissimis occultissimisque latebris latitantem, in academiis quaerere incipimus, & sine illa a mercaturis bonarum artium domum redire, iniquissimum turpissimumque judicamus. Non scholae, sed vitae discimus: nec variis usquequaque occurrentibus rebus fidem habemus, sed omnia probamus, omnia ad veritatis amussim, velut ad lydium lapidem applicamus, singula ex usu nostro metimur. Cui enim bono, si innumeris reculis, delectu omni & discrimine remoto, comportatis, memoriam obrueremus, ingenium obtunderemus, judiciumque frustra defatigaremus? Anne multo satius erit, pauca eaque vera, sive justis sive injustis possessoribus erepta, in perpetuos usus nostros vindicare? Scoria, lapides, plumbum & talia ubivis terrarum fere sunt obvia; aurum verò, argentum, gemmae & simiiia rarius omnino inveniuntur. Falsa, ficta, & picta in multis inanium voluminum molibus sunt pluscula; certa & vere vera admodum pauca. Multi & magni libri saepius non nisi multa atque magna sunt mala. Necesse itaque erit, ut apes imitemur, & quaecunque firmis in-

nixa fundamentis e diversa lectione, frequentiorique meditatione congessimus, sollicite separemus & asservemus, pro reipublicae, ecclesiae, nostroque emolumento. Non enim omnia, quae auri splendorem imitantur, aurum habent: nec ea, quae ad veritatem proxime accedunt, ideo sunt vera. Verosimilia veri speciem non raro mentiuntur, ut dulcia nonnulla mellis suavitatem. Nil itaque salubrius, nil studioso homine dignius, quam apis more modoque grata carpentis thyma per laborem plurimum, ex optimis optima studiose colligere, vera a verosimillimis accurate secernere, & ea demum in succum & sanguinem, ut ajunt, vertere. Ponderanda igitur, perpendenda, & discutienda sunt omnia, eundum insuper per singulas minutissimasque partes, quo vera, solida & ab omni fuco aliena pelluceant, falsa vero incerta & quae parum firmamenti habent celeriter, ut flosculi, decidant. Suo se quodvis indicio prodet, soricis instar. Quod si conatui nostro non semper optatus respondeat eventus, solatio erunt illi poëtarum versus:

ecquid tentasse nocebat?
Est prodire tenus, si non datur ultra.

Quo & ego fretus historiam quandam notatu dignissimam, & a summe venerabili domino praeside, multis ex causis commendatam aggredior, quid veritatis subsit, pro meo ingenii modulo paucis expositurus, & observationes historico-theoldgicas pro viribus additurus. Ita vero eandem apud Clementem Alexandrinum in libello illo: *Quis divitum salvus fiat*, cap. XLII. relatam legi:
Ut

Ἱνα δε επιθαρρης, ουτω μετανοησας αληθως, ὅτι σοι μενει σωτηριας ελπις αξιοχρεως, ακουσον μυθον, ου μυθον, αλλα οντα λογον περι Ιωαννου του Αποστολου παραδεδομενον, και μνημη πεφυλαγμενον. Επειδη γαρ του τυραννου τελευτησαντος, απο της πατμου της νησου μετηλθεν επι την εφεσον απηει παρακαλουμενος και επι τα πλησιοχωρα των εθνων, ὅπου μεν επισκοπους καταστησων, ὅπου δε ὅλας εκκλησιας ἁρμοσων, ὅπου δε κληρῳ, ἕνα γε τινα κληρωσων ὑπο του πνευματος σημαινομενων. ελθων και επι τινα των ου μακραν πολεων ης και τουνομα λεγουσιν ενιοι, και τα αλλα αναπαυσας τους αδελφους, επι πασι τῳ καθεστωτι προσβλεψας επισκοπῳ, νεανισκον ἱκανον τῳ σωματι, και την οψιν αστειον, και θερμον ἰδων, τουτον εφησε παρατιθεμαι μετα πασης σπουδης, επι της εκκλησιας και του χριστου μαρτυρος, του δε δεχομενου και παντ' ὑπισχνουμενου, και παλιν τα αυτα διετειλατο και διεμαρτυρατο. και ὁ μεν επι την εφεσον απηει.

Ὁ δε

VT autem magis confidas, modo si vere poenitueris, certae tibi fidei tutamque manere salutis spem; audi fabulam, quae ipsa non fabula, sed vera de Iohanne apostolo tradita narratio sit, ac memoriae studiose commendata; Cum enim post tyranni obitum e Patmo insula Ephesum rediisset, vicinas quoque gentes rogatus visebat, partim quidem ut episcopos constitueret, partim vero ut integras ecclesias disponeret ac formaret, partim etiam ut unumquemque eorum, quos Spiritus designaret, in clerum cooptaret. Cum itaque ad urbem quandam haud procul Epheso dissitam venisset (eius & nomen nonnulli referunt) atque alias praesentia verbisque suis fratres consolatus esset, ad extremum viso iuvene quodam egregia corporis statura, eleganti vultu, ferventique ingenio atque indole, ad loci episcopum conversus; *Hunc* inquit, *coram ecclesia ac Christo teste, omni tibi opera commendo.* Tumque illo suscipiente ac cuncta praestiturum pollicente, eadem ipsa Ioannes rursus perurgebat ac contestabatur. Post haec Iohannes quidem Ephesum profectus

ὁ δε πρεσβυτερος αναλαβων οικαδε τον παραδοθεντα νεανισκον ετρεφε, συνειχεν, εθαλπε, το τελευταιον εφωτισε. Και μετα τουτο ὑφηκε της πλειονος επιμελειας και παραφυλακης, ὡς το τελειον αυτῳ φυλακτηριον επιστησας την σφραγιδα του κυριου. Τῳ δε ανεσεως προ ωρας λαβομενῳ προσφθειρονται τινες ἡλικες αργοι, και απερρωγοτες εθαδες κακων. Και πρωτον μεν δι εστιασεων πολλων πολυτελων αυτον επαγονται. ειτα που και νυκτωρ επι λωπωδοσιαν, εξιοντες συνεπαγονται. ειτα τι και μειζον συμπραττειν ηξιουν. ὁ δε κατ' ολιγον προσειθιζετο, και δια μεγεθος φυσεως, εκστας ὡσπερ αστομος, και ευρωστος ἱππος ὀρθης ὁδου και τον χαλινον ενδακων, μειζονως κατα των βαραθρων εφερετο. απογνους δε τελεως την εν θεῳ σωτηριαν, ουδεν ετι μικρον διενοειτο, αλλα μεγα τι πραξας, επειδηπερ ἁπαξ απολωλει ισα τοις αλλοις παθειν ηξιου. Αυτους δε τουτους αναλαβων και ληστηριον συγκροτησας, ετοιμος λησταρχος

ctus est: Presbyter vero adolescentem sibi traditum in domum suam suscipiens, educando, continendo, fovendo operam dabat: ac tandem sacro baptismate initiavit. Deinceps sacerdos de pristina cura atque custodia paulatim remisit, ut qui perfectum ei tutamen, ac quo cautum omnino foret, Domini signaculum adhibuisset. Illum ergo praematura potitum libertate aequales quidem sibi adiungunt, desides ac dissoluti, & flagitiis omnibus assuefacti. Ac primum quidem magnificis conviviis iuvenem illiciunt: noctu deinde ad spoliandos obvios egressi, secum trahunt; inde ad maiorum scelerum societatem cohortantur. At ille sensim assuescebat pravitati, genii magnitudine ac praestanti indole, velut equus duri oris robustusque a recto abreptus ac froenum mordens, acrius in praeceps ferebatur. Iam itaque prorsus abiecta spe salutis ex Deo consequendae, nihil ultra mediocre animo designabat; sed grandi aliquo perpetrato facinore, quod semel perierat, pari reliquis exitu luere vix dum reluctantibus animis cogitabat. Illis igitur ipsis assumtis, institutoque latronum colle-

ταρχος ην, βιαιοτατος, μιαιφονωτατος, χαλεπωτατος. χρονος εν μεσω, και τινος, επιπεσουσης χρειας ανακαλουσι τον Ιωαννην. Ο δε επειδη τα αλλα ων χαριν ηκε κατεστησατο, αγε, δη, εφη, ω επισκοπε, την παρακαταθηκην, αποδος ημιν ην εγω τε και ο σωτηρ σοι παρακατεθεμεθα επι της εκκλησιας, ης προκαθεζη, μαρτυρος. ο δε το μεν πρωτον εξεπλαγη, χρηματα οιομενος, απερ ουκ ελαβε, συκοφαντεισθαι. Και ουτε πιστευειν ειχεν υπερ ων ουκ ειχεν ουτε απιστειν Ιωαννη. ως δε τον νεανισκον ειπεν απαιτω και την ψυχην του αδελφου στεναξας κατωθεν ο πρεσβυτης και τι και επιδακρυσας, εκεινος, εφη, τεθνηκε. Πως, και τινα θανατον; θεω τεθνηκεν, ειπεν. ανεβη γαρ πονηρος και εξωλης, και το κεφαλαιον, ληστης. Και νυν αντι της εκκλησιας, το ορος κατειληφε μεθ ομοιου στρατιωτικου. Καταρρηξαμενος την εσθητα ο αποστολος, και μετα μεγαλης οιμωγης πληξαμενος την κεφαλην, καλον γε εφη

collegio, dux ipſe latronum haud ſegniter erat; violentia, caedibus atque atrocitate cunctos ſuperabat. Aliquanto poſt tempore, cum novi aliquid neceſſarii operis aut negotii incidiſſet, iterum ad eam urbem accitus eſt Ioannes. Qui cum veniſſet, & cuncta quorum gratia venerat, ordinaſſet, *agedum*, inquit, *epiſcope, redde nobis depoſitum, quod ego pariter & Chriſtus tibi commendavimus, ſub eccleſiae, cui praes, praeſentia, ipſaque coram teſte.* Ad haec *epiſcopus primo quidem morari ac attonitum eſſe, cum exiſtimaret pecuniam, quam non accepiſſet a ſe per calumniam repeti:* & ſicut adhibere fidem, ut ſe habere exiſtimaret, quae non habebat, ſic nec Ioanni diffidere audebat. Sed ubi Ioannes *juvenem* inquit, *repeto & fratris animam*, alto ſenex ducto ſuſpirio vultumque lacrymis affuſus. Is, ait, *mortuus eſt. Quomodo* inquit Ioannes *ac quo mortis genere? Deo*, ait ille, *mortuus eſt. Malus quippe evaſit et perditus, ac quod maximum, latro: iamque adeo pro eccleſia montem occupavit, cum latronum pari ſatellitio.* His auditis Apoſtolus ſciſſa veſte, & cum ingenti gemitu caput feriens

εφη φυλακα το αδελφου ψυχης καταλίπω αλλ' ἵππος ηδη μοι παρεστω, και ηγεμων γινεσθω μοι τις της όδου. ηλαυνεν ώσπερ ειχεν αυτοθεν ἀπο της εκκλησιας. ελθων δε εις το χωριον, ὑπο της προφυλακης των ληστων αλισκεται, μητε φευγων, μητε παραιτουμενος. Ἀλλα βοων, επι τουτ' εληλυθα, επι τον αρχοντα ὑμων αναγαγετε με ὃς τεως ὥσπερ ὥπλιστο ανεμενεν ὡς δε προσιοντα εγνωρισε τον Ιωαννην, εις φυγην αιδεσθεις ετραπετο. Ὁ δε εδιωκεν ανακρατος επιλαθομενος της ἡλικιας της εαυτου. Κεκραγως, τι με φευγεις, τεκνον, τον σαυτου πατερα, τον γυμνον τον γεροντα; ελεησον με, τεκνον μη φοβου εχεις ετι ζωης ελπιδα. Εγω χριστω δωσω λογον ὑπερ σου αν δεη τον σον θανατον ἑκων ὑπομενω, ὡς ὁ κυριος τον ὑπερ ἡμων ὑπερ σου την ψυχην αντιδωσω την εμην. στηθι, πιστευσον, χριστος με απεστειλεν ὁ δε ακουσας πρωτον μεν εστη κατωβλεπων ειτα ερριψε τα ὅπλα ειτα τρεμων εκλαε πικρως. Πρόσελθοντα δε τον γεροντα περιελαβεν απολογου

riens, *Bonum te*, inquit, animae fratris custodem constitui. Sed iam mihi praesto sit equus & aliquis ductor itineris. Inde ab ecclesia, ita ut erat, concito equo iter properavit. Cumque ad locum venisset, ab iis qui excubias agebant, latronibus capitur: non ille fugam petens aut veniam deprecans, sed clamans: *in hoc ipsum veni, ad vestrum ducem me ducite.* Is vero ut erat armatus interim expectabat. Sed ubi accedentem agnovit Ioannem, prae pudore in fugam versus est. At Ioannes totis viribus concito cursu, aetatis oblitus hominem persequi instititit identidem clamans: *Quid me patrem tuum, fili, fugis inermem seniculum?* Miserere mei, fili, noli timere; adhuc tibi superest vitae ac salutis spes. Ego pro te Christo rationem reddam si sit opus, tuam ipse libens mortem sustinendo, quemadmodum Dominus pro nobis mortem tulit. Animam meam pro tua vicariam dabo. Sta modo, & crede. A Christo missus sum. His ille auditis, primum quidem vultu in terram demisso substitit: deinde proiectis armis acerbe flere coepit. Accedentem vero senem com-

λουόμενος ταῖς οἰμωγαῖς ὡς ἐδύνατο, καὶ τοῖς δάκρυσι βαπτιζόμενος ἐκ δευτέρου. Μόνην ἀποκρύπτων τὴν δεξιὰν ὁ δὲ ἐγγυώμενος ἐπομνύμενος, ὡς ἄφεσιν αὐτῷ παρὰ τοῦ σωτῆρος εὕρηται δεόμενος, γονυπετῶν. Αὐτὴν τὴν δεξιὰν ὡς ὑπὸ τῆς μετανοίας κεκαθαρμένην καταφιλῶν ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν ἐπανήγαγε. Καὶ δαψιλέσι μὲν εὐχαῖς ἐξαιτούμενος, συνεχέσι δὲ νηστείαις συναγωνιζόμενος. Ποικίλαις δὲ σειρῆσι λόγων κατεπάδων αὐτοῦ τὴν γνώμην, οὐ πρότερον ἀπῆλθεν, ὥς φασι, πρὶν αὐτὸν καταστῆσαι τῇ ἐκκλησίᾳ.

complexus, gemitu ac lamentis, quam maxime poterat, crimen diluebat, & lacrymis velut altero quodam baptismo expiabatur, solam dexteram occultans. Tum Apostolus spondens deieransque veniam se illi a Salvatore nactum esse oransque ac in genua provolutus, ipsam iuvenis dexteram velut poenitentia expiatam, exosculans, in ecclesiam reduxit. Exinde partim crebris orationibus Deum deprecans, partim continuatis una cum iuvene ieiuniis simul decertans, variisque denique sermonum illecebris animum eius demulcens non prius destitit, ut aiunt, quam illum firma constantia ecclesiae gremio admovisset.

Mira profecto fabula! Num vera? videbimus. Primum vero omnium in authores eandem nobis referentes, inquiremus. Principem in his obtinet locum laudatus *Titus Flavius Clemens*, vulgo Alexandrinus dictus, patrum sui aevi facile doctissimus. Nec mirum, cum viros eruditissimos saepius audiverit, inque cohortem illorum receptus intima eorundem familiaritate usus sit. (*a*) Non, puto, opus est, ut multa cum veterum tum recentiorum judicia (*b*) de tanto viro afferam

(*a*) Vid. Cave H. L. p. 49. seqq. Du Pin. B. N. p. 63. Tenzel. Ex. sel. part. p. Ex. 5. p. 199. (*b*) Congessit illa Hobelius H. E. Sect. III. art. II. p. 472. seq.

ram; ex ipsius libris, ut pater ex liberis facillime cognoscitur. Il est vrai, vere de his judicat celeberrimus *Du Pin* (in N. B. A. E. p. 86.) que de tous ces anciens il n' y en a point dont les livres soient rempli de tant de erudition prophane. Vel unicus ille de divitum salute libellus instar omnium esse poterit, c' est un excellent traite, laudato *du Pin* teste. Confecit vero ille octavum stromatum librum in quibusdam codicibus Photii aevo superstitibus, observante Caveo. (*a*) Hinc forte Anastasius in talem codicem incidit, cui libellus fuit junctus, qui tamen plane ab opere stromatum est distinctus, ut ab aliis optime fuit monitum. Integrum nobis elegantissimum hoc scriptum dedit *Combefisius* in auctuario bibliothecae patrum graeco latinae Paris. 1670. (*b*) quod paulo post & Oxonii prodiit A. 1683. Iam quidem antea in lucem prolatum a Michaele Geislero erat & commentario in Ieremiam insertum, sed sub Origenis nomine. (*c*) Nostris demum temporibus idem Anno 1700. edidit vir summe reverendus *Dn. D. Thomas Ittigius* Lipsiensium theologus, professor excellentissimus, cui utinam Deus firmam concederet sanitatem ad sacra haec studia ulterius ornanda! Clementem secundi seculi scriptorem excipit Eusebius caesariensis ecclesiasticae parens historiae, qui IV^{to} floruit seculo, & accuratam satis atque diffusam de nostro juvene narrationem dedit. (*d*) Cujus etiam mellifluae pater eloquentiae Iohannes Chrysostomus (*e*) meminit. Quia vero in apostoli mansuetudine & inusitato amore explicando diutius moratur, nemo mirabitur facile, quod adolescentis

(*a*) l. c. p. 55. (*b*) P. l. p. 183. n. 42. (*c*) Cave H. L. p. 55.
(*d*) l. 3. Hist. Eccl. cap. 23. (*e*) 1. Paraenes. ad Theod. Lapsum sub finem.

ſcentis converſionem eiusq; modum pauciſſimis exponat. Nec opus tunc erat prolixiori deſcriptione, quod probe ſcienti in memoriam tantum revocanda. Dictum ſapienti ſufficere poterat. Ita autem ſe habet illud: *De adoleſcente illo qui prius Ioannis Zebedaei fuerat diſcipulus, poſtea vero ducem latronum multo egit tempore, ac rurſus a ſanctis illius beati manibus interceptus, de latronum luſtris & ſpeluncis ad priſtinam virtutem rediit,* nec tu ipſe ignoras; *ſed non minus quam ego cuncta exacte noſti: Et ſaepe te audivi admirantem illum beati viri condeſcenſum multamque manſuetudinem; & quod ſanguinolentam illam prior exoſculatus ſit dextram, ipſum adoleſcentem complexus, atque ita illum in viam reduxerit.* *Anaſtaſius* ſinaita (*a*) ſexti decus ſeculi, eandem hiſtoriam refert, dilucidius tamen non paucis in locis. (*b*) *Antiochus* quoque, ſeptimi lumen ſeculi, illius meminit Hom. CXXII, & ab Irenaeo ſe eam accepiſſe tradit, licet paulo aliter atque Clemens noſter eandem recenſeat. Ita enim ille: *Tale quid, inquit, reperimus apud Irenaeum. Dicit enim de Iohanne theologo quod adoleſcentem conſpicatus nativae indolis dexteritate praeſignem, cum fidei rudimentis inſtruxiſſet eum & baptizaſſet, urbis eius epiſcopo dixerit: Hunc tibi committo; & inde abſceſſerit. Epiſcopus autem magnam adoleſcentis curam gerens ad magnos profectus eum promoverit &c.* quae omnia ad allatam Clementis narrationem proxime accedunt. Illa tantum reſtat differentia, quod a Ioanne inſtructum & baptizatum, ab epiſcopo vero tantum ad magnos virtutis gradus provectum adoleſcentem eſſe Antiochus velit, cum Clemens

contra

(*a*) In Expoſit. Pſ. VI. (*b*) Vid. Henr. Caniſius Tom. III. antiq. Lect. p. 112. & ſeqq. & Combefiſius qui latinam adiecit interpretationem Tomo I. Actuarii Nov. Bibl. PP. Graeco-Lat p. *966.* nec non Bibl. PP. Auctuarium Tomo II. 19.

contra ab episcopo instructum & baptizatum esse referat. Et Antiocho quidem fides habenda esse videretur, si ab Irenaeo, qui Clemente prior & antiquior fuit, traditam accepisset. Cum vero similius videatur vero eum ex Eusebio, aliquot seculis posteriore, sua hausisse, Clemens noster palmam habebit. Causa autem huius coniecturae haec est, quod Antiochus eodem capite cum Irenaei tum Clementis mentionem facit, huius quidem in hac historia, illius vero paulo ante, imo & post, licet in alia causa, ambobus interim de Ioanne differentibus. Hinc quod Clementi debebat, Irenaeo adscripsisse videtur. Quandoque enim & bonus dormitat Homerus & optimus ecclesiae pater. Postea *Simon Methaphrastes* decimi fidus seculi, eandem recensuit historiam. (*a*) Verba quidem eius non tam prope ad Clementina accedunt, quam Eusebii, quae proxime; sensus tamen non alius sed plane idem est. Denique nec *Nicephorus* (*b*) quem decimo quarto vixisse seculo scimus, saepius dictam narrationem silentio praeterire voluit. Quod ad recentiores historiam hanc repetentes attinet, constat magnum illum annalium E. patrem *Baronium* (*c*) eandem retulisse, & *Canisium* (*d*) & *Dodwellum* (*e*) & *Combefisium* (*f*) & *Raymundum* (*g*) quem nos evolvere non potuisse dolemus; imo & *Cave* im ersten Christenthum (*b*) & *du Pin* (*i*) & si qui sunt alii. Omnes hi viri in singulis circumstantiis

(*a*) In vita S. Ioannis graeca Veronae 1532. edita Stephani fratrumque Sabiorum cura. (*b*) vid. l. II. c. 42. p. 139. (*c*) in Annal. ad. A. C. 98. (*d*) in notis ad Anastasii Homil. (*e*) in dissertat. ad Irenaeum p. 39. (*f*) Tom. I. cit. novi Auctarii p. 34. & p. 966. (*g*) Tom. VIII. operum p. 196. (*h*) Part. III. c. 2. p. 629. seqq. (*i*) in nou. Bibl. des Auth. Eccl. p. 86.

tiis cum Clemente noſtro conveniunt, praeter *Baronium* & *Caniſium* eius veſtigiis inhaerentem, qui hanc hiſtoriam & apud Caſſianum collat. XXIV. c. 21. legi contendunt; cum tamen ibidem alia plane de Ioanne hiſtoria, eius ſcilicet luſus cum perdice & reſponſum venatori datum, reperiatur. Forſitan eos memoria fefellit, vel corruptus quidam codex, quem imprudentes ſequuti ſunt. Simile quid & *Dodwello* accidere potuit, cum pro Ioanne evangeliſta Ioannem presbyterum ſubſtituit.

Quod ſi tot tantisque graviſſimis viris aliquid largiri, pro autoritate illorum, velimus, unanimem eorundem conſenſum non tenue veritatis argumentum ducendum eſſe exiſtimo. Accedit & hoc, quod nihil falſi fucative in noſtra hac hiſtoria notaverint; quod ſi aliquid ſaltem eis ſuboluiſſet, non tacuiſſent. Vt enim fucum celare & tègere verſuti eſt & obſcuri, & aſtuti & fallacis & malitioſi, callidi, veteratoris & vafri; ita e contrario fucum retegere, aperti & ſimplicis & ingenui, & iuſti & viri boni eſt. Denique, cum in ipſis circumſtantiis curate penſitatis, nil quicquam ſibi diſſentanei, vel apoſtolica etiam authoritate indigni lateat, (id quod *Raynaudus* contra *Canum* & *Combefiſium*, cui quaedam in hac hiſtoria ſunt ſuſpecta, fuſius probat; licet *Combefiſius*, ut ex indiculo autorum biblioth. concionat. praemiſſo pag. 2. conſtat, ſententiam ſuam vindicaverit; referente DN. D. *Ittigio* in laudati libelli praefatione, in qua plura circa hiſtoriam noſtram erudite ſunt notata,) cur quaeſo eas in dubium vocaremus? Certe ſi ſaepius laudata hiſtoria e fictis commentitiisque rebus conſtaret, celeberrimi illi & fi-

de digniſſimi viri, ut fabulam ſine dubio reſpuiſſent nec enarrando ullam ei fidem adiungere voluiſſent. Clemens quidem μυθον vocat, ſed ſtatim addit ου μυθον & οντα λογον veram narrationem appellat. Nec incommodum ſane μυθου vocabulum, ex antiquiſſima dicendi ratione huc translatum. Veteribus enim μυθοι ſunt ſymbolicae figuratae & myſticae traditiones, ſtupenda arte inventae & expoſitae, de variis diis, deorumque ortu, familia, filiis, negotiis, regnis, facinoribus, portentis, gloria & cultu ſacro, nec non de eorundem variis apparitionibus frequentique adventu. Moris enim erat antiquiſſimis temporibus, ut ea quae a Diis numero innumeris geſta dicerentur, quaeque in eorum ſacris agerentur, umbram aliarum plane rerum referrent, quas eruditi viri ſub illis occuluiſſent. Hinc longae illae poetarum ambages, narrationes ceremoniasque continentes, non ſunt niſi figurae, imagines, & ideae rerum abſtruſarum, quas pauci admodum penetrant. Ingens horum μυθων ſupereſt numerus in Orphei, vel Onomacriti Argonauticis, & hymnis de deorum rebus. Homerus horum non paucos ſitit, ex quibus plurimi aliorum poetarum pleno alveo fluxere. Cinaethus, Ovidius, praeſertim in metamorphoſibus, Nonnus, Heſiodus, Virgilius, Claudianus & omnes fere latini poetae vetuſtiſſimis illis parabolis & figuratis traditionibus opera ſua exornarunt. An vero phyſicae vel morales ſub iis deliteſcant res, quaeſitum hactenus ab omnibus; num hiſtoricae, a pauciſſimis. Fabulae enim vulgo dicuntur, & res penitus fictae habentur, licet veteres res veras, pictas autem &

tem & coloribus ſcite veſtitas, hoc nomine deſignaverint. Ecquis ſibi perſvaderet tot eruditos, prudentesque viros, meris nugis, commentitiisque ineptiis, irreparabile tempus triviſſe? Rectius multo, una cum aliis veterum non paucis, lacteae eloquentiae pater *Lactantibus* ſenſit: ut patet ex I. libro de falſa relig. cap. XI. ubi *Non*, inquit, *res ipſas geſtas finxerunt poetae, ſed rebus geſtis addiderunt quendam colorem*; cum officium poetae ſit in eo, ut ea quae geſta ſunt vere, in alias ſpecies obliquis figurationibus, cum decore aliquo converſa traducat. Id quod maxime venerabilis dominus praepoſitus H. von der Hardt/praeceptor, hoſpes ac maecenas meus aetatem ſuſpiciendus, luculenter erudito orbi oſtendit, cum in praefatione in Sippharam Babyloniae, tum in porta ad legendum Lutherum, nec non in nodo Petri ſoluto & in Phaſiana, Noctua & Textore aliisque erudititſſimis ſcriptis, quae iam ſilentio veneror. Ad hunc igitur antiquiſſimum των μυθων uſum reſpiciens Clemens Alexandrinus, hiſtoriam ſuam ȣ μυθον vocat, haud obſcure innuens, rem omnem, quam retulit, revera ita geſtam eſſe, nullos omnino illitos colores, nullos fucos, nihil ſubeſſe falſi, nihil eſſe additum, nihil demtum. Id quod ſcriptori, qui primae puritatis tempore florebat aptiſſimum, eiusque auctoritati, qua etiam cum in vivis eſſet, omnium maxime florebat, graviſſimum videtur.

Monſtri tamen ſimile apparet, inquis cum *Bebelio*, (*a*) quod Ioannes in latronum fauces irruens, praeſentiſſimo periculo, vitam obiecerit; ſed ipſe tibi

 cum

(*a*) in antiquit. eccl. S. I. p. 76.

cum Bebelio respondeas, considerans e *singulari instinctu heroico*, magnis viris nec paucis communi talia saepe accidisse. Tanta enim affectuum vehementia, quibus apostolus tunc temporis corripiebatur, nec tela, nec ignes, nec mortem timet. Nec adeo mirus *Combesisio* (*a*) videri poterat citatus equi cursus, seni parum alioquin conveniens; cum sanguinis commoti vis & impetus violentissimus, viresfacile adaugeat & stupendo robore hominem impleat. Internum velocissimum viscerum motum inspiciat aliquis, & de externa membrorum agilitate parum sollicitus erit. Animi motionem, corporis velocitas statim sequitur. Et si imminens periculum meditamur, aetatis viriumque nostrarum penitus obliviscimur. Res, puto, plana est, & quotidiana experientia dudum comprobata. Quid itaque *Sculteto* (*b*) in mentem venerit, ut suspectam hanc esse historiam crederet, nondum equidem coniectura assequi potui. Nullam enim suspicandi rationem in tota narratione cerno, nullam, firmis quidem solidisque innixam fundamentis, observo dubitandi ansam. Vnicam forsân adhuc suggereret ingeniorum phoenix *Scaliger* (*c*), qui intervallum illud ab ultimo Actorum capite, ad medium Traiani imperium, plane αδηλοι vocât & nihil in eo certi de rebus christianorum ad nos pervenisse statuit; id quod ad hanc nostram historiam *Tillemontius* (*d*) transfert. Verum enimvero, si daremus hoc tantis viris, res gestas horum temporum distincte & plene non haberi, imo multa suppositi-

(*a*) in notis ad Anastasium. (*b*) in Medulla Patrum P. III. p. 195. (*c*) in Prolegom. ad Thesaurum temporum. (*d*) in nota VII. ad Hist. Clem. Alex.

positicia sub apostolorum & apostolicorum virorum nominibus latere fateremur; nonulla tamen genuina nec interpolata scripta superesse, nemo facile inficias ire poterit. Bene hanc in rem immortale Iuliae nostrae decus *Georg. Calixtus* (a) *Nihil quidem*, inquit, *scriptorum, praeter apostolica & canonica, ex primo seculo integre & sine suspicione falsi, vel certe interpolationis, ad nos pervenit, non quod nihil omnino scripserint, qui id aetatis ecclesiis praeerant, quum de Ignatii nonnullis epistolis res sit extra controversiam: sed potius quod divina providentia primum seculum non nisi apostolicis scriptis apud nos voluit nobilitatum, & hoc ipso providere, ne ob vicinitatem temporum, alia si exstarent, cum apostolicis confunderentur. Sicut etiam quum subsequutis seculis bene multa ab industriis & sedulis doctoribus literis fuerint consignata, eorumque alia perierint, alia hodie supersint, divinae providentiae acceptum ferimus, quod quae optima sunt, & ad institutionem nostri & ecclesiae aedificationem faciunt, iniurias aevi superarint, & alia quibus sine damno & incommodo carere possumus, interciderint. Neque vero de providentia divina aliter sentire par est, quam quod optima quaeque & quae ex usu nostro futura essent, conservatum iverit.* Inter haec sane *Clementis* nostri Alexandrini scripta eminent, illud praesertim quod *de divitum salute* confecit, non spurium, non commentitium sed genuinum sed verum, & quod nemo quidem, quantum constat, unquam ei dubium fecit.

Sed haec hactenus; iam singula rerum momenta ponderemus, eaque observationibus historico theolo-

(a) in apparatu theolog. p. 113.

theologicis aliquo modo illuſtremus, ita tamen, ut non tam copiam quam modum in explicandis illis quaeramus.

ουτω μετανοησας αληθως *modo ſi vere pœnitueris* redditur, ut alias communiter. Μετανοειν autem proprie, animum, totamque corruptam vitae rationem, commutare, aliterque & rectius ſentire, denotat, Qua voce θεοπνευστοι ſcriptores novi fœderis ſaepius utuntur, pro genuina & vera pœnitentiae natura deſignanda. Nec enim ſufficit dicere: pœnitet, piget, pudet: ſed opus eſt, hoc ipſum alia & meliori vita in promtu ponere. Aliae, ſint oportet, cogitationes, alii ſenſus, alii mores, alia inſtituta, ut non cognoſcas te eundem eſſe. Hinc gentium doctor inquit: Μη συσχηματιζεσθε τω αιωνι τουτω, αλλα μεταμορφουσθε τη ανακαινωσει του νοος υμων, (quid vero illud aliud eſt quam μετανοειν) εις το δοκιμαζειν υμας τι το θελημα του θεου το αγαθον και ευαρεστον και τελειον. Rom. XII. 2. *Ne vos configurate ſeculo iſti*, *Theodorus Beza* vertit, ſed transformate vos per renovationem mentis veſtrae, ad hoc ut probetis, quae ſit voluntas Dei bona illa, placens ac perfecta. Hoc μετανοειτε primum cum Ioannis Baptiſtae, tum ipſius Chriſti oraculum erat, ut patet e Matth. III. 2. & IV. 17. pro certiſſimo ſymbolo & aeterno argumento, primum omnino omnium rerum eſſe, priſtina peccata, peſſima conſilia, ad quae natura proclives ruimus, abiiciere, abolere, deteſtari, animum flectere, corrigere & ad divinam imaginem emendare. Aliam enim vitam alios mores Deus poſtulat: aut alii aut nulli ſumus.

Οπου μεν επισκοπους καθιστησιν, οπου δε ολας εκκλησιας αρμοζων. *Integras eccleſias diſponens ac formans,* trans-

transfertur, at minus notanter. Αρμοζειν enim idem eſt ac apte & concinne connectere, ut adeo apoſtolus id unum egerit, ut non epiſcopos ſolum conſtitueret & quosdam in clerum cooptaret, ſed etiam totas eccleſias vinculo charitatis iungeret & ſingulas ita inſtrueret, ut omnia ordine, decenter & amanter gererentur. Ingens profecto fructus, pro apoſtolico eccleſias viſitandi ſtudio! Quid enim ſalubrius, quid dulcius, quid chriſtianis hominibus dignius, quam τηρειν την ενοτητα του πνευματος εν τω συνδεσμω της ειρηνης, idem conſtanter velle, idem ſemper nolle, & amabili pacifici amoris vinculo, nunquam diſſolvendo, alligari? Quanta laus, quanta gloria primorum chriſtianorum fuit, quod unum cor una anima illis fuerit Act. IV. 32. nec ut hodie proh dolor! quot capita tot ſenſus habuerint! Vnum ſit corpus, oportet, unus ſpiritus, ſicut & vocati ſumus in unam ſpem vocationis noſtrae. Vnus dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnes; & per omnes, & in omnibus nobis Eph. IV. 4. 5. 6. Vnum itaque atque idem ſentiamus omnes, unum amplectamur, unum fugiamus unanimes. Felices illos ter & amplius! qui epiſcopi epiſcoporum conſtituti, ſaepiſſime eccleſias viſunt & cum Ioanne ſummopere nituntur, ut & docentes & diſcentes una inter ſe voluntate conſentiant, nec illud quod Deus nectit concordiae vinculum, temere ſolvatur. Concordia enim res chriſtianorum parvae creſcunt, diſcordia maxime dilabuntur. Si doctores eccleſiae inter ſe diffident, & docendi in eorum exempla, velut in ſpeculum, inſpicientes, in diverſas abeunt partes, actum eſt, ilicet, periere.

Οπως δε κληρον ειη το τινα κληρωσαι υπο του πνευματος σημαινομενων *ut unumquemque eorum quos Spiritus designaret, in clerum cooptaret.* Sensus est: apostolum id sibi negotii datum credidisse, ut dignos ecclesiae antistites constitueret, vel aptos ibi ordinando, vel aliunde accersendo. κληρουσθαι aliasdicuntur illi, qui sorte munus accipiunt. Cum igitur Matthias in numerum undecim apostolorum sorte cooptatus sit Act. I. 26. quid, ni & hi? cum sortilegia in eligendis verbi divini ministris, illo adhuc tempore adhibita esse, vero sit simillimum. Quod si illud admittimus, & sequentia verba υπο του πνευματος σημαινομενων obscuriuscula alioquin, luce meridiana clariora erunt. Si enim a Iehova tota sortis ratio dependet Prov. XVI. 33. ille utique ad quem sortes ministerii sese vertunt, divino spiritu, non indignus declaratur. Ipsae sortes indicant, & quasi digito monstrant, eum caelesti consilio esse designatum. Patet inde, cur christiani omnes iam olim distincti fuerint in κληρον S. κληρικους & λαικους, in clericos & laicos, quia scilicet ecclesiae ministri sortitione ex popularibus seligebantur, ad obeundam sacri ministerii functionem. Colligere id licet ex *Pachym:* (cap. V. Dionys. Areopag. de eccl. hierarch. p. 327.) *Ego dico,* inquit, *sortem fuisse signum aliquod revelationis, vel afflationis sanctissimi spiritus, quod cadebat super eum, qui in clerum cooptabatur. Suidas:* λεγεται κληρος και το συστημα των διακονων, Unde: κληρουν sequioribus temporibus clericum facere, vel clero adscribere significat.

Ελθων επι τινα των ου μακραν πολεων. *Cum itaque ad urbem quandam haud procul Ephesο venisset.* Fatetur author noster,

ſter, nonnullis urbis eius nomen non fuiſſe ignotum, ipſe vero illud reticet; vel quod ſcribenti non incideret, vel quod minus certum duceret, vel alia de cauſa, quam divinando aſſequi quis poteſt? Alexandrini author chronici Smyrnam fuiſſe refert, addens, Ioannem, adoleſcentem illum Smyrnenſi epiſcopo de meliori commendaſſe. Ille vero tunc temporis Polycarpus erat, ſi quidem Petro Halloiſio, in illuſtribus eccl. or. ſcriptoribus fidem non denegamus. Ita vero dicti chronici verba ad annum Traiani IV. & ad Olympiadis CCXXI. indictione XIII. ſe habent: εν ω χρονω και νεανισκον, ον παρεθετο ο Αποστολος Ιωαννης τω Επισκοπω Σμυρνης, και μετα ταυτο λησταρχος γεγονως, ειτα δια τυ αγιυ μετανοιαν εγνωριζετο. h. e. *quo tempore & adoleſcens ille claruit, quem commiſerat Ioannes apoſtolus epiſcopo Smyrnae, & poſtea dux latronum factus fuerat, deinde a S. Ioanne eſt ad poenitentiam revocatus.* Cum itaque Smyrna, ut e geographia patet, tam vicina eſſet ut eccleſia, epiſcopo donata, fuerit nulla; per τινα των ου μακραν πολεων per quandam urbium Epheſo haud procul diſtantem, (cui epiſcopus quidam praeeſſet) omnium commodiſſime, meo quidem iudicio, Smyrna intelligitur, in qua Polycarpus epiſcopus primus ſedit, ipſe cum Ioanne verſatus, qui 86. annos Chriſto inſerviit. Nil ergo falſi ſupponimus, ut Combefiſius in notis veretur, dum vicinae maxime urbi nomen tribuimus, cum laudatum Alexandrinum chronicon illum expreſſe nominet, nec ut de alia cogitemus, ulla cauſa ſubſit. Quod vero Clemens noſter nomen civitatis ſilentio praetereat, forſan reverentia tanti viri fecit, qui omnes officii ſui

 partes

partes non ita ut debebat, expleverat. Memorabile ſane laudabilis taciturnitatis exemplum!

Αναπαυσας τυςαδελφυς *fratres conſolatus* Pauli & Barnabae more, qui Lyſtram & Iconium & Antiochiam reverſi επιςηριζοντες τας ψυχας των μαθητων, παρακαλυντες εμμενειν τη πιςει, και οτι δια πολλων θλιψεων δει ημας εισελθειν εις την βασιλειαν τυ θευ confirmabant animos diſcipulorum, hortantes ut permanerent in fide, & dicentes: oportere per multas afflictiones nos intrare in regnum Dei. Act. XIV. 21. 27.

Νεανισκον ικανον τω σωματι και την οψιν αςειον και θερμον ιδων *viſo iuvene quodam egregia corporis ſtatura, eleganti vultu, ferventique ingenio atque indole*, unde prima commendatio profecta eſſe videtur. Non deſunt, inquit Car. Scribanius Ieſuita l. I. inſtitutionis politico-chriſtianae, cap. V. p. m. 65. edit. Antwerp. M DCXXXIV. qui hominem a vultu metiantur, ac totius corporis habitudine. *Non quod haec ſigna non fallant, ſed quod nec inania nec vacua momenta ſint. Certe ut oratio, ita & vultus latentium teſtis & index eſt*; ut non immerito aliquis ſcripſerit: *Non fruſtra doctiſſimi viri dicunt, naturam ipſam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominis ac decore membrorum colligi poſſe, quantus illos cœleſtis ſpiritus intrarit habitator.*

Τυτον παρατιθεμαι μετα πασης σπυδης επι της εκκλησιας και τυ χριςυ μαρτυρος. *Hunc coram eccleſia ac Chriſto teſte, omni tibi opera commendo.* Ecce flagrantiſſimum apoſtoli deſiderium, tenerrimumque in ignotum ſibi adoleſcentem amorem! ut omnes ſuas curas cogitationesque in id confert, ut ſalutaribus ſtudiis ab ineunte

aetate

aetate imbueretur. O quam graviter peccant, qui praeſtantia ingenia nullis praeceptis excolunt, neque erudienda neque docenda curant! Audiant divinas minas: *Maledictus qui facit opus Iehovae fraude*! Ierem. XLVIII. 10. Chriſti res agitur, ſalus eccleſiae & reipublicae periclitatur, ſi vel unicus puer negligentia parentum, vel incuria praeceptorum pereat. Irreparabile profecto damnum, animam Chriſti ſanguine redemtam intercidere! Ferte opem quicunque poteſtis, per Deum perque Salvatoris vulnera vos oro! Obſervatis ſaepe pueros hinc inde diſcurrentes ſine ducibus, ſine magiſtris; agite, & ſive veſtrae, ſive alienae fidei eos committite. Digna ſane res eſt, veſtra conſcientia teſte, in qua omnis veſtra cura, ſtudium atque opera ponatur. Repetet enim aliquando Deus veſter, non chariſſimorum ſolum veſtrorum pignorum animas, ſed & alias, quarum ſalus vobis curae cordique eſſe debebat. Viam vobis exemplo ſuo monſtravit Ioannes, imo & ille presbyter, qui adoleſcentem ſuae fidei mandatum, in domum ſuam recepit, educavit, fovit & in ſinu habuit. Si Deo chari eſſe cupitis, & liberi vobis chari ſint; eorum ſalus veſtra ſuprema lex eſto!

Το τελευταιον εφωτισε. *Tandem ſacro baptiſmate initiavit.* Alii propius ad fontem accedunt, & per το *illuminavit*, vertunt. *Halloiſius* (a) per το *baptizavit* reddidit, cui ſupra commemoratus *du Pin* aſſentit, dum il lui donna le bapteme, tranſtulit. Et recte quidem, ſi ſtilum antiquiſſimorum eccleſiae patrum ſpectes. Ita enim *Iuſtinus Martyr* apologia ſecunda καλειται, inquit, τουτο το λουτρον φωτισμος, ως φωτιζομενων την διανοιαν των ταυτα

(a) Notis ad Polycarpum p. 370.

μαϑηταιτων *h. e. vocatur lavacrum hoc illuminatio, quod eorum qui haec discunt mentes illuminantur.* Et *Ioannes Chrys*: catechesi ad eos qui illuminandi sunt: καλειται scribit, και φωτισμα, και τυτω αυτο παυλος αυτος εκαλεσεν vocatur & illuminatio, & ita hoc ipsum (baptisma) ipse quoque Paulus appellavit. Sic *Cyprianus* epist. IIda ad *Donatum* de baptismo suo ait: Sed postquam undae genialis auxilio, superioris aevi labe detersa, in expiatum pectus ac purum, desuper se lumen infudit, postquam coelitus spiritu hausto, in novum hominem nativitas secunda me reparavit &c. Vnde baptizandi, sive qui nomen suum professi fuerant ut baptizarentur, φωτιζομενοι seu μελλοντες φωτιζεσϑαι illuminandi; & fons cui immergebantur, nunc το βαπτιστηριον nunc το φωτιστηριον appellabatur. Ita *Cyrillus* Hierosolymitanus catecheses octodecim των φωτιζομενων illuminandorum, & *Chrysostomus* duas προς τυς μελλοντες φωτιζεσϑαι scripsit. Non ergo male, cum *Combefisius* (a) tum *Valesius* (b) το εφωτισε h. l. per baptizare, interpretatus est. Accedit ad hanc versionem *Ruffinus* presbyter, qui (c) eandem ita explicat: *Tum vero presbyter* in domum suam adolescentem suscipit commendatum, & cum omni diligentia enutrit, amplectitur, fovet, *ad ultimum etiam baptismi gratiam tradit.* Nec dissentit *Anastasius Sinaita*, qui ita exponit: Και μετα τινα χρονον εβαπτισε και χριστιανον αυτον εποιησε. *Iam vero aliquanto post tempore etiam badtizavit & christianum fecit.* Pari modo *Antiochus* Homil. CXXII. ιδων τινα νεανιαν ευφυεστα τον καληχηϑεντα παρ αυτυ και βαπτισϑεντα adolescentem conspicatus nativae

(a) in notis ad Anastasium. (b) in suo Eusebio. (c) l. III H. eccl, cap. 23.

nativae indolis dexteritate praesignem, cum fidei rudimentis instruxisset &c.

φυλακτηριον *Tutamen*, mallem phylacterium. Quaeso vero, quid hoc monstri? Sunt qui putant, grandes fuisse fimbrias acutissimis spinis instructas, quibus ambulantes aut sedentes Iudaei aliquando pungerentur, ne legis divinae oblivisceruntur. Sed risum teneatis amici. *Hieronymus* ait: Pharisaeos ut legis admodum observantes viderentur, decalogum in membranis seu duobus voluminibus conscripsisse, quorum alterum fronti coronae vice circumposuissent, alterum brachio, ut sive quo manum porrigerent, essent in conspectu, sive oculos moverent, ob oculos versaretur. Hunc morem testatur, suo etiam aevo viguisse, apud Iudaeos, Persas atque Babylonios, eosque qui eum sequuntur, religiosissimos omnium haberi. Syri תפליתון vocant, quod a verbo quodam derivari solet, quod *coniunxit*, *connexuit*, inter alia significat. Vnde תפילה orationem dici volunt, quod nos Deo coniungat per meditationem & affectum. Hinc תפלין frontalia, appendices, appellari putant. *Camero* (a) exinde phylacteria illa תפלין dicta esse existimat, quod praecipuus eorundem usus in oratione esset, ad eum scilicet modum , quo pontificii galli corollas suas, vel si mavis, rosaria, Patenostres nuncupare solent. Neque satis convenit inter autores, quot commatibus s. versiculis huiusmodi tephillin constiterint. *Nicolaus* enim de *Lyra*, iudaeus ex iudaeis, postea vero christianus, prodit, quod integros duodecim versus illis inscribant iudaei, nempe Deut. VI. 1-6. cap. XII. 1-11. *Hieronymus* vero, *Beda* ac *Theo-*

(a) In Myrothec. & Tom: III. Praelect.

Theophylactus opinantur, totum decalogum illis infertum; aliis, mandatum de diligendo proximo folum, urgentibus. Alii affirmant iter ex Ægypto in illis fuiffe confignatum, & quatuor פרשיות feu Lectionibus, comprehenfum. Quarum prima conftat v. 5-9. Deut. VI. altera Exod. XIII. 1 - 10. tertia Exod. XIII. 11 - 16. quarta Deut. XI. 13 - 21. ut adeo triginta quafi verfibus tota compages conftet. Ita *Schindlerus* in Lex. Pentagl. pag. 699.) fcribit טטפות *dici duas laminas, feu membranulas corio inclufas, quarum una alligetur fronti, altera manui finiftrae.* Additque, quod in his defcribatur egreffio ex Ægypto 4. fectionibus. Fagius vero domunculorum, inquit, in quibus 4. lectiones in membranulis fcriptae, inclufae continentur, 4. iuxta iudaeos effe oportere. Et fubiicit: Si vel plura vel pauciora effent receptacula, graviffimum committi peccatum. *Theophylactus* (a) duarum faltem membranularum facit mentionem: Scribebant, dicit, in duabus chartulis decalogum legis, & ponebant unam fuper frontem, & alteram fuper dextram fufpendebant. *Epiphanius* (b) negat quidquam phylacteriis fuiffe infcriptum, nec membranulas ea fuiffe, fed latas quasdam purpurae notas, confpicuis palliorum locis praetextas. *Samuel Petitus* (c) huiusmodi טטפות five phylacteria ideo iudaeis mandata cenfet, quod cum maiores, dum inquilini Ægyptica fervitute premerentur, fuperftitiofis & obfcoenis amuletis frontem munirent, Deus praeceperit, ut abiectis illis gentium φυλακτηρίοις, decalogum in membranulis

(a) In Matth. XXIII. 5. (b) Haer. 15. (c) Libr. II. Var. Lect.

nulis descriptum in frontibus gestarent. Id quod fundamento suo non carere videtur. Sed quid recensioni diversarum opinionum tam diu immoror? Evolvat, cui placet, *Paulum Fagium*, (a) *Cameronem* (b) *Nicolaum Fullerum* (c) *Buxtorfium* (d) *Ioannem Gerardum* (e) *Rivetum* (f) *Scaligerum* (g) *Drusium* (b) *Mart. Del. Rio* (i) *Isid. Pelusiotam* (k) *Barthol. Meieri* Phil. sacram (l) *Michaelis* denique *Beck* dissertationes duas, quarum altera *de Phylacteriis Iudaeorum in genere*, altera de eorundem usu in specie agit. *Ioannes Christoph Wagenseilius* in sua Sota seu Mischnico tractatu de suspecta adulterii uxore, potiora huius argumenti momenta ex MSto Etz Chajim deduxit, figurisque aeneis phylacteria sua erudito orbi stitit. Maiora tamen dare posset si vellet, laudatus maxime venerabilis DN. Praepositus von der Hardt/ qui nonnulla primae magnitudinis, non parvo pretio sibi comparavit. Sunt autem תפלין seu Φυλακτηρια duae membranulae receptaculis coreaceis per aediculas distinctis, inclusae, in quibus 4. legis reperimus periodos Exod. XIII, 3-10. XIII. 11-16. Deut. VI, 5-9. Deut. XI, 13-21. quas summa cum religione alligatas gestant assidue Iudaei, & frontem & brachium iisdem ornantes, vel potius onerantes. Fronti quod affigunt & תפלין של ראש vocant, eo loco esse solet, quo cerebri infantis palpitatio sentitur, שמוחו של תינוק רופף Babyl. Taanith. fol. 16. 1 in glossa. Alterum sinistra tenet

&

(a) ad num. XV. 38. & Exod. 13. (b) Tom. III. prael. p. 35. 36. (c) l. V. Misc. c. 7. (d) Lexic. Chald. Tal. p. 870. Synagoga Iudaica p. 134. sqq. (e) Comm. in Deut. p. 431. sqq. (f) Comm. ad Exod. 13. (g) in Elench. c. 8. (b) l. 2. de sectis c. 14. (i) disqu. mag. p. 912. (k) l. II. ep. 150. (l) l. I. p. 124. sqq.

& תפלין של יד nominatur. Ambo insitam vim quandam (occultam puto qualitatem) habere creduntur ad fugandos Daemonas & ad omnis generis adversa averruncanda. Hinc in Hieros. Berac fol. 2. 4. (*a*) relatum legimus: Necesse est ut recitentur phylacteria vespere domi בשביל להברות את המזיקין ad fugandos Daemonas.

Quae opinio quam vetusta sit vel ex *Hieronymi* Comm: in Matth. XXIII. 5. & autore imperf. oper. in Matth. Hom. 43. satis constat; damnata tandem ab Antiochena synodo (*b*) & Laodicensi, Canone 36. Videtur hic abusus & *Clementis* nostri aevo viguisse, unde illa loquendi formula irrepserit: Ephesinum presbyterum sibi persuasisse, satis tutum hunc adolescentem fore, utpote signaculo domini, quod praestantissimi amuleti & phylacterii instar esset, probe communitum. Vnde & Sinaita: *Putabat se hunc in tuto collocasse ac satis communivisse*; quod σφραγις τȣ κυριȣ pro omnibus malis averruncandis sufficeret. Dum haec scribo in *Balsamonem* incido, qui ad LXI. Can. Conc. in trullo p. 433. de φυλακτηρίοις haec habet, quae cit. Clementis verba non parum illustrare videntur. Amuletorum praebitores (φυλακτηριοι) dicuntur, vincula quaedam ex sericiis filis contexta, quae πυγγια dicuntur, praebent: quae aliquando quidem intus habent scripturas, aliquando vero falsa quaedam alia quaecunque inciderint. Dicunt autem haec iuvare, si ex collis eorum qui ea accipiunt perpetuo pendeant, ad omne malum averruncandum. Egregium munimentum! minus tamen tutum illo divino, quod

σφρα-

(*a*) Piske in Berac. cap. 1. art. 6. Rabbenu Asher. ib. c. 1. col. 1. (*b*) Schindl. l. c.

σφραγιδα του κυριου *Clemens* votat. de quo iam dispiciemus. Quod *Sigillum divinum* nativa significatione denotet, est in confesso ; quodnam autem illud sit, e prioribus, puto, liquet. Cum enim baptismi mentionem fecerit *Clemens*, quo christianorum cohorti adscriptus adolescens ; eundem hic quoque designari, apparet. Ita enim antiquissimi Patrum Ecclesiae loqui amant. *Ioannes Damascenus* l. 4. orthod. fid. c. 10. ubi de fide & baptismate agit. Νυν μεν ουν, inquit, δια του βαπτισματος την απαρχην του αγιου πνευματος λαμβανομεν; και αρχη ετερου βιου γινεται ημιν η παλιγγενεσια και σφραγις και φυλακτηριον και φωτισμος. *Nunc igitur quidem per Baptismum primitias Spiritus S. accepimus ; & initium alterius vitae fit in nobis ipsa regeneratio & sigillum & Phylacterium & illuminatio.* Ratio huius appellationis haec esse videtur, quod quemadmodum sigillum authoris sui est indicium ; ita divinus baptismus est signum & nota illorum, qui Deo nomen suum dedere, de grege Domini ac Dei nostri Christi sunt, verique Christiani evasere. Id quod modo dictus *Damascenus* cap. XI. & ante illum *Basilius M.* in oratione de baptismo egregie explicarunt. Ita *Caesarius* (a) dicit baptisma esse σφραγιδα της μυστικης τελειοτητος & *Basilius* (b) σφραγιδα ανεπιχειρητος vocat, imo ipse *Clemens* noster του κηρυγματος σφραγιδα appellat. (c) His non obstantibus, non desunt inter pontificios, qui per σφραγιδα του κυριου Confirmationis Sacramentum intelligi volunt. Ad hos pertinet *Arcudius* (d) *Menardus* (e) & *Baronius*, qui lati-

nam

(a) Quaest. XII. p. 26. (b) in exhort. ad Bapt p. 481. (c) Strom. l. II. p 379. (d) l. II. de concord. eccl. or. & occ. c. IV. p. 76. (e) in notis ad Gregorii M. sacramentarium p. 110.

nam *Eusebii* versionem *I. Christophorsoni* consuluisse videtur. Illa vero ita se habet: (ἐφώτισε) Baptismi Sacramento illuminavit (σφρ. τȣ κυρ.) cum sacramento Confirmationis, tanquam perfecta tutaque eius animi custodia obsignasset &c. (*a*) Sed recte *P. Halloix* homo pontificius iudicat (*b*) *istam adiectionem* i. e. Sacramento Confirmationis, quae non est in graeco, sed ab ipso explicandi gratia adiecta, *nihil valere*, & *nonnullis errandi occasionem praebere* imo perquam absurdam esse l. c. p, 570. col. 1. in. Addit ille: Nam sigillum Domini h. l. non Sacramentum Confirmationis sed Baptismi significat. Idem & *Combefisius* (*c*) agnoscit & ingenue fatetur, quod ille Eusebii interpres, nempe *Christophorsonus* paraphrasi sua sensum *Clementis* male detorquens obscurans & pervertens, incautos ac graeci idiomatis rudes lectores in errorem inducat ac risui exponat, dum se magnum aliquod argumentum pro Confirmationis Sacramento proferre ex Eusebio putant, cum re vera nihil pro illis Eusebius faciat. Ita pontificii pontificium iugulant! Et unde quaeso probabunt boni illi viri, Patres ecclesiae suorum confirmationem, vel illuminationis vel divini sigilli nomine dignam deputasse? Baptisma vero σφραγῖδος appellatione saepe venire, quis negare auderet? Adeat, cui volupe est, *Suiceri* ecclesiasticum Thesaurum, & exempla inveniet numero innumera. Quibus adiungi merentur illa *Gregorii Nazianzeni* verba, de diversis baptismatis nominibus prolata (*d*) δωρεα, καλυμμα, χαρισμα, βαπτισμα, χρισμα, φωτισμα, αφθαρσιας ενδυμα

(*a*) vid. ei. versio Euseb. l. III. c. 17. (*b*) in not. ad vit. Polycarpi p. 571. (*c*) in not. ad Anastas. (*d*) in Orat. XL.

ενδυμα. λεγει παλιγγενεσιας, σφραγιδα και οτι τιμιον Hinc S. *Cyrillus* Hierosolymitanus (*a*) baptizandos ita affatur: προσελθετε εις την μυστικην σφραγιδα ινα ευγνωστοι ητε τω δεσποτη Accedite ad mysticum signaculum, ut sitis bene noti domino. Et paulo post: οπου βλεπει την αγαθην συνειδησιν εκει σωτηριωδη διδωσι σφραγιδα την θαυμασιαν, ην τρεμουσι δαιμονες, και γινωσκουσι αγγελοι, ινα μεν φυγωσιν, ελαθεντες ο δε περιεπωσι ως οικειον. *Ubi bonam videt conscientiam ibi salutare & admirabile sigillum imprimit, quod metuentes tremunt daemones & cognoscunt angeli, ut illi quidem abacti fugiant, ibi vero ut domesticum amplectantur.* Et proxime subiungit: τοις δε λαμβανουσι την πνευματικην σφραγιδα και σωτηριον χρεια και της οικειας προαιρεσεως *Accipientibus autem spirituale hoc & salutare sigillum, opus est propria electione.* De adultis vero sermo est. Et *Basilius* seleuciae episcopus (*b*) Theclam suis verbis baptisma ab apostolo Paulo petentem inducit: Μονον δος μοι και αυτος, ω διδασκαλε την εν χριστω σφραγιδα *Da mihi ipse, o magister Christi signaculum.* Cui paulo post inter alia respondet Paulus: και της δια του αγιου βαπτισματος τευξη χαριτος & *gratiam per S. baptisma consequeris.* Cum itaque Ephesinus noster presbyter animum induceret suum, divina hac gratia, sacra immersione collata, adolescentem sibi commendatum satis fore munitum, roboratum ac firmatum, animo deinceps otioso esse coepit, credens, dormienti sibi hoc confecturum Deum, ut flos aetatis omni virtutum genere, unus omnium maxime floreret. Hinc rarius officio suo functus, tam sollicita cura atque custodia in posterum non opus fore confisus. Ex qua infelicissima negligen-

(*a*) in I. Catech. (*b*) l. de vita Theclae.

gligentia omne poſtea vitium & facinus, quod in imprudentem adoleſcentem cadere potuit, ſua ſponte fluxit. Vt enim in agro, niſi ſemper colatur, mundetur & perpurgetur,

Infelix lolium & ſteriles dominantur avenae

ita in animo varia ſubinde naſcuntur vitia, perpetua cultura neglecta, nec innata virtutum ſemina adoleſcere licet. Ita enim comparatum eſt hominum ingenium, ut quando nihil boni agit, nil niſi mala peragat. Non ergo remiſſus unquam ſit animus, ſed ſemper intenſus, nunquam otioſus, neque tunc cum otioſus. Quantum aliis ad res nauci obeundas, quantum ad feſtos dies celebrandos, quantum ad alias voluptates & ad ipſam requiem animi & corporis conceditur temporis, quantum alii tribuunt frequentioribus conviviis, quantum denique aleae, quantum caeteris ludis tantum ſibi quisque ad animum excolendum ſumat Parva ſaepe ſcintilla magnum excitavit incendium, & minima non raro negligentia maximum peperit detrimentum. *Qui* capere poteſt capiat & caveat.

Τω δε ανεσεως προ ωρας λαβομενω προσφθειρονται τινες &c. quod translatum eſt: illum *ergo praematura potitum libertate, quidam ſibi adiungunt*, cum potius vertendum fuiſſet *illum vero praematura potitum libertate corrumpunt quidam*, ignavi ſcilicet ac diſſoluti, flagitiisque omnibus aſſuefacti. Quale quid adoleſcentibus Icariis pennis ad Academias advolantibus non raro evenire ſolet, ſine ulla tamen academiarum culpa; cum pravi mores non in iis naſcantur, ſed propagentur. Si parentes, ſi praeceptores vel quicunque demum inſtituendis pueris

operam

operam dant, ſi illi, inquam ſuum facerent officium nec ut Epheſinus Presbyter, de ſuo ſtudio perſeverantiaque remitterent, non eſſet forte quare academias accuſarent. Nunc vero cum e prima officina, tum qua doctrinam tum qua mores trunci ſaepe afferantur & inutilia ligna, unde quaeſo mercurii prodibunt? bona mens bonus animus, in academiis non malus facile evadet, malus vero brevi temporis ſpatio peior, imo peſſimus. Apte huc quadrat, opinor, illud Lucretii:

- - in fabrica ſi falſa eſt regula prima
Normaque ſi fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua ſi ex parte claudicat hilum:
Omnia mendoſe fieri atque abſtipa neceſſum eſt
Prava cubantia, prona, ſupina atque abſona tecta,
Iam ruere ut quaedam videantur velle, ruantque
Prodita iudiciis fallacibus omnia primis,

Et hic valet communis ille Medicorum canon: *vitium primae concoctionis non reſtituitur in ſecunda.* Prava ſi ad academias accedunt ingenia, non paucos ſtatim ad pravam perverſamque conſuetudinem moremque deducunt; cum plurimi ea aetate multitudinis iudicio ferantur, quaeque maiori parti pulcerrima videntur, ea maxime exoptent, perpauci ſive felicitate quadam, ſive bonitate naturae, ſive parentum diſciplina, rectam vitae ſequantur viam. Si omnes boni Corinthum adirent, peiores redirent nulli. Si ubique caſte, moderate, ſobrie & honeſte vivitur certe in academiis. Sunt enim & ibi leges, ſunt magiſtratus, ſunt viri honeſtatis virtutisque amantes, & interdum plus quam nonnulli volunt, rigidi ac ſeveri. Non igitur academia

mia in cauſa, ſi qui in ea male vivunt, non profeſſorius ordo, non cetera optime conſtituta, & quanta poſſunt diligentia obſervari ſolita. Egregie Quintilianus (*a*) diſcunt, ait, haec miſeri, antequam ſciant vitia eſſe: inde ſoluti ac fluentes *non accipiunt, e ſcholis mala illa, ſed in ſcholas afferunt.*

Τινες ηλικες αργοι και απερρωγοτες, εθαδες κακων (προσφθαιρονται) *aequales quidam deſides ac diſſoluti & flagitiis omnibus aſſuefacti;* inertes, diſſoluti, vitiis aſſueti, ut Euſebii interpres reddidit. *Metaphraſtes* τας ορμας, inquit, αχαλινοι και αναγωγοι *affectibus effrenes & intractabiles* fuiſſe. *Anaſtaſio Sinaitae ſunt,* νεωτερισαι φθορει τε και εξωλεις και εθελοκακοι. *Factioſi, corruptores, perditi & malevoli homines.* Num igitur mirum tam corruptis moribus imbutos, adoleſcentem ſodalem ſibique familiariſſimum iisdem imbuiſſe?

φθειρουσιν ηθη χρηςθ ομιλιαι κακαι
Corrumpunt bonos mores colloquia prava.

Nec aliter fieri poteſt. Sumuntur a converſantibus mores; recte Seneca dixit. Meliores nobis, bonos; peiores, peſſimos nos reddunt. Deteriores enim citius quam probiores evadimus, & mala inſtituta picis inſtar haerent. Hinc Diogenes adoleſcenti eleganti ad convivium properanti acclamabat: Deterior redibis; qui cum reverſus Diogini obieciſſet: ſe iviſſe, nec tamen deteriorem rediiſſe. hoc reſponſum accepit: deterior tamen es; (*b*) ſubindicans non fieri poſſe ut aliquis ex improborum convictu purus integerque diſcedat. Vt enim σοφοι τυραννοι σοφων συνουσια, ſapientes reges e converſatione cum ſapientibus

(*a*) l. I, cap. 2. (*b*) Diog. Laërt. vit. Phil. l. 6.

tibus prodeunt; sic insipientes e familiaritate cum insipientibus. Sodalitium cum profanis nescio quid veneni occultissime saepe serpentis habet, quod etiam praeter omnem expectationem, in animos hominum influere solet. Id quod adolescens noster expertus testari potest. Quam primum enim in cohortem ignavorum refractariorumque pecorum receptus esset, nequissimos illorum mores imitatus, ad omnium scelerum societatem se abduci passus est, adeo ut illis nihil vitii relinqueretur, quin esset id itidem illi. Vide quanta nefariorum hominum sit astutia! ut brevi temporis intervallo pares & consimiles sibi reddat incautos homines! Fuge, fuge illos ceu pestem, & cave ne attingas errantes hos ignes. Sis licet cautus, ab his Sirenibus non satis cavebis. Ecce concilia eorum, ut omnia in his sunt similia consilia! omnes congruunt, omnes idem dicunt, idem sentiunt, idem agunt. Vnum cognoris, omnes noris. Tu solus dissenties? solus aliud svadebis? Frustra eris. O te felicem! o terque quaterque beatum! qui non ambulas in consilio improborum, & viae peccatorum non insistis, ac in consessu derisorum non desides Ps. I. 1. Quid si enim in coelis sedens rideat, & Dominus subsannet eos? quid si alloquatur eos in ira sua, & in aestu irae perturbet eos? Ps. II. 4. 5. Nonne erubescent & conturbabuntur valde omnes? Ps. VI. 11. Vive ergo Deo, vive tibi, vive musis, & id age, ut cum paucis fidisque amicis consenescere tibi liceat. Aut nulla est in hoc terrestri exilio, aut ea demum vera vita est.

Δια μεγεθ@ φυσεως. *Genii magnitudine & praestanti indole.* Vt magna ingenia magno impetu magna agunt, ita pari cursu ad vitia ruunt. Generosus equus & robustus, mira praestabit, domitoribus traditus & ab iis correctus; indomitus ferocitate exultabit, fraenum mordebit, praecipitique celeritate in praeceps se committet. Et homines stupenda indolis magnitudine praediti, si sibi imperare, si suos affectus catenis quasi compescere non didicerint, amentissimi erunt, atque omnibus consiliis praecipites deviique. Magnum foret enumerare tot tantosque viros, qui ut virtutibus eluxere, ita vitiis obruti fuere. Noster adolescens unus instar omnium esse poterit, quem cum genii excellens praestantia bonis omnibus commendaret, tandem tamen eo abreptus fuit, ut toti latronum colluviei non sine laude praeesset, dux ducum, nequissimorumque multo nequissimus.

Egregiam sane laudem & spolia ampla tulisti!

Εκειν@ τεθνηκε, *Is mortuus est.* Quasi cum illo apud Comicum dicturus: Filium unicum habeo adolescentem, sed quid dixi habere me, imo habui, proh dolor! mortuus enim est. Quomodo? quaeris, Deo. Quod mortis genus των φοβερων φοβερωτατον ut cum Aristotele loquar, h. e. omnium terribilium maxime terribile, censetur. Ita enim divinus epistolae ad Ebraeos autor sentit c. XI. 31. φοβερον το εμπεσειν εις χειρας θεου ζωντ@. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Sed quid hoc quaeso est, vivo Deo mori? eum aversari, eius consilia non sequi, eius praecepta rejicere & relinquere, denique omnem abjicere obedientiam, rationi

non

non parere, nec cœlesti sceptro se subjicere velle. Scilicet quemadmodum ille, qui debito naturae reddito, exanimatus procumbit, nil quidquam agit vel molitur, capite, corpore, manibus, pedibusque omni negotio vacuis; ita homo peccatis sepultus nil cogitat, nil conatur, nihil suscipit, quod homine, nedum Christiano dignum. Nullae in eo meditationes, nullum desiderium, nullum consilium ad hanc aeternamque salutem spectans. Oculi eius semper ad terrena & peritura attenti defixique, quae supra sunt, non curant. Aures mundanis illecebris patentes, divinis mandatis non praebentur. Lingua quiescit, os opprimitur, manus comprimuntur, pedes constringuntur, nulla denique corporis membra suum, ut oportebat, faciunt officium. Ecce viva cadavera impiorum! Ne tibi persuadeas velim, haec improprie nimis esse dicta; stilus hic est non divinorum solum scriptorum, sed & aliarum gentium. Et antiquissimi Iudaeorum magistri saepius ita loquuti. Hinc R. Eliezar (*a*) *Populi*, inquit, *terrarum non* vivunt עמי ארצות אינן חיים nonne hoc idem est, quod Paulus (*b*) dicit? Vos mortui fuistis in peccatis. Nec multum sane dissentaneum est illud R. Ieremiae Bar Abba in (*c*) (Ez. XXXVII) Ossa arida sunt filii hominum, שאין בהן לחלוחית המצוה in quibus non est humiditas praecepti: Hinc expectarunt Iudaei, ut notum, resurrectionem mortuorum adveniente Messia futuram; quam non ex allato tantum Ezechielis loco, sed inter alia quoque, ex Esaiae XXVI. 20. adstruere nituntur. Sed quid opus est verbis, ubi re-

(*a*) Chetubb. fol. III. 2. (*b*) Eph. II. 1. (*c*) Sanhedr. fol. LXXXXII. 2.

rum testimonia adsunt. Quis non videt & manibus quasi palpat, eos qui in deliciis sceleribusque vivunt, vitam cum morte commutasse? Habent oculos, fateor, sed non vident, habent aures, sed non audiunt, habent manus, sed non palpant, habent pedes, sed non ambulant, ut verbis scripturae utar. Nec tamen mortui, sed vivi sunt. Id quod vel ex Paulino effato patet (a) *Non est iustus* (qui Deo vivat.) *ne unus quidem. Non est qui intelligat, non est qui exquirat Deum. Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt : non est qui faciat, quod bonum est, non est usque ad unum. Sepulcrum apertum guttur eorum, linguis suis ad dolum usi sunt, venenum aspidum sub labris eorum. Quorum os diris & amarulentia plenum est. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & miseria in viis eorum. Et viam pacis non cognoverunt. Non est timor Dei coram oculis eorum.* En vivos colores improborum; qui vivi quidem videntur, sed non sunt, qui mortui potius sunt, licet non videantur. Cave, cave tibi, ne haec cadavera tangas, teque similibus flagitiis polluas. Vivere Te Deus vult, mori Te non fert, non patitur, non sinit, nisi ipse feras patiaris sinasque, insanientis sapientiae consultus. Morere itaque peccato, nec in eo diutius morare. Vive autem Deo, qui vita tua est. Salvator tuus ex mortuis resurgens novam vitam vivere incepit. Ah incipe incipe, vel hodie, e numero mortuorum abire, & ad Creatorem tuum redire. Audi illius expressum mandatum: Rom. VI. 11. *και υμεις λογιζεσθε εαυτυς νεκρυς μεν ειναι τη αμαρτια, ζωντας δε τω θεω εν χρι-*

σω Ιη-

(a) Rom. III. 10. seqq.

ςωτηρ8. Etiam vos colligite, vos tum mortuos esse peccato, tum vero vivere Deo per Christum Iesum, Dominum nostrum. Summopere igitur te niti decet, ne vitam transigas veluti pecora, ne in otio sis instar cadaverum. Sed & negotia peccatorum penitus sunt abolenda, ne scilicet peccatum in mortali tuo corpore regnet, neque sistas membra tua arma iniustitiae peccatis, sed sistas te Deo, ut ex mortuis vivum, & membra tua, arma iniustitiae, Deo, ut Pauli (a) verba mea faciam. Saepius cogita adolescentem nostrum de quo Ephesinus presbyter non sine acerbissimo dolore, suspirio & gemitu dixit: *Is mortuus est! Deo mortuus est! malus quippe evasit, ac quod maximum latro.* Cogita, expende & perpende! iniice tibi peccatorum terrorem & horresce, ne vivus moriaris, nec tunc, cum mori, quam vivere malles, vivas, & nunquam moriaris.

Καταρρηξαμενος την εσθητα, ο αποςολος. *Scissa haec apostoli vestis partim iustae indignationis, partim maximi mœroris*, certissimum erat indicium; quem nemo profecto rite cognoscet, nisi, quid unicae animae iactura valeat, probe noverit. Moris alioquin erat apud diversas gentes magno in luctu, undecunque etiam orto, violentissima ratione vestes disrumpere, laceris partibus aliquamdiu pendulis fluentibus. Illa enim scissio scissi quasi pectoris dolorem testabatur subitum: scissorum autem gestatio dolorem eum referebat serium ac diuturnum. Vnde Drusius ad Num. 58. afferit, priscos illos homines cor suum dolore lacerari testificatos esse; quem

(a) Rom. VI. 13.

ſe; quem ritum plurimis populis fuiſſe communem, ex Homero, Virgilio, Herodoto aliisque oſtendit. Id quod pluribus expoſuere, *Kirchmannus* (a) *Dilberrus* (b) *D. Förſter* (c) *Serarius* (d) *Druſius* (e) *Briſſonius* (f) *P. Faber* (g) *T. Popina* (h) *I. Freinshemius* (i) *Sopranes* (k) *M. Geierus* (l) aliique. Quod ſi cui aliqua ſciſſarum veſtium farrago arrideat praeter *Bariſſonii* (m) illa loca quae ſunt allata & a *Radero* deſcripta *Virgilium* (n) adeat, *Xenophontem* (o) conſulat, *Svetonium* (p) evolvat, *ſacros fontes* inſpiciat, (q) deinde *Senecam* legat (r) *Diodorum*, (s) *Apuleium* (t) *Silium* (u) & *Dionem* (x) & *Claudianum* (y) *Quintilianum* (z) *Plutarchum* (a) *Zonaram* (b) *Herodianum* (c) *Tertullianum* (d) *Hieronymum* (e) & plures. Noſtrum de Ioanne apoſtolo exemplum in his lucet velut inter ignes luna minores. Nec enim funus patris, vel matris, vel propinquorum lugebat, ſed mortem adoleſcentis ſibi antea ignoti, nullaque affinitatis ſpecie coniuncti. Scilicet e divino amoris igne quem Ioannes ex ipſo Chriſti ſinu petierat, hoc repetendum eſſe exiſtimo. Hinc vehementiſſimus ille dolor ortus, hinc

(a) l. 2. de Fun. Rom. I. 17. (b) dial. 1. phil. p. 41. ſqq. (c) ad Eſ. 37. p. 544. (d) Comm. ad Eſth. ſol. 330. (e) l. 12. obſerv. cap. 1. (f) l. II. regn Perſ. p. 256. (g) l. 2. ſemeſt, c. 10. p. 109. ſqq. (h) In not. ad Curt. l. X. (i) Comm. in Curt. l. III. c. XI. 25. (k) in Davide digr. 3. f. 540. (l) de Ebraeorum luctu cap. 22. p. 413. (m) l. II, p. 256. (n) V. 685. (o) παιδ. 3. & ſub. fin. libri item, in pr. libr. V. (p) Caeſ. XXXIII. 1. (q) Gen. XXXVII. XLIV. 13. iud. XI. 35. Num. XIV. 6. Reg. IV. 5. 7. Ioſ. VII. 6. Maccab. I. 14. Iob. I. 20. Marc. XIV. 63. Act. XIV. 13. III. Reg. II. 1. 2. Matth. XXVI. 65. IV. Reg. XVIII. 37. &c. (r) de Ira l. 26. 27. (s) XVII. 35. (t) l. VIII. (u) l. VI. 405. l. XIII. 388. (x) l. LVI. (y) de raptu Proſp. III. 149. (z) declam. 27. (a) Ciceron. c. 42. (b) Tomo II. de Auguſto. (c) l. I. 40 (d) advoc. pſychic (e) ſ. 13. Matth. l. 27.

hinc illae lacrymae, hinc illa vulnera. Ardebat totum apostoli pectus, & viscera omnia pro amicissimo gravissimoque desiderio, quo tum flagrabat, commovebantur. O utinam in eum velut in speculum inspiceremus,& ex eo quid christiana sit charitas, arriperemus, hauriremus & exprimeremus!

Rari quippe boni! numero vix totidem quot,
Thebarum portae, vel divitis ostia Nili.

Causa in promtu est. Si enim paucissimi se amant, quomodo alios amore prosequentur? si suas res non curant, suam salutem negligunt, alienam quaerent? Excussi propriis negotiis, aliorum causa quicquam susciperent? Non facient. Quisquis sibi ipsemet proximus, dici solet, sed utinam esset! Vtinam quisque modo secum habitaret, & si forsan cum adolescente illo, Deo mortuum se esse,cognosceret,revivisceret,propter semet ipsum lugeret, se affligtaret, se excruciaret, se maceraret, imo dolore ac miseria tabescerer. Quod si prius factum foret, luctus ex alterius morte sua sponte sequeretur. Cum enim homo ad se rediit, deoque vivere incipit, aliorum sibi antea consimilium miseriam & calamitatem sibi satis cognitam atque perspectam facile sentit. Scilicet experientia omnium multo fidelissima vitae nostrae magistra est, quod ea quae alii tradere vel nequeunt,vel nolunt, accuratissime nobis tradat. Quod si nostra nobis peccata moerorem ac luctum attulere, ipso sensuum nostrorum testimonio, aliena vitia & flagitia multo crudelius atque acerbius nos torquebunt,quia cernimus illos, qui iis obruti sepultique sunt, eadem non videre , multo minus vero deplorare.

Hinc

Hinc illud poetae: *O miseras hominum mentes! o pectora caeca* millies ingeminaverimus. Quod itaque ipsi perniciem suam non intelligant, nos solicitabit, quod ipsi vim peccatorum non sentiant, nos affliget, quod illi angoribus se non dedant, nos conficiet. Et quantum illi pravis cupiditatibus & voluptati indulgebunt, tantum nos rectius edocti, dolori indulgebimus; denique quia illi in infelici semper sunt otio, nos in negotio erimus, nec ante quiescemus, quam illi scelestissimis occupati laboribus, quiescant. Ita alienus dolor nos anget, alienum infortunium nos urgebit, aliena mors falsissimas nobis excutiet lacrymas, ut Ioannis Apostoli memorabile exemplum id ipsum nobis in promtu ponit. O felix negotium quod alterius otium tibi facessit! Beatae lacrimae alius morte expressae!

Ευλαει ωσπερ ειχεν, αυτοθεν απο της εκκλησιας. *Inde ab Ecclesia ita ut erat. concito equo iter properavit.*

Quo non mortalia pectora cogis
Sanctus amor!

Ad latronum fauces adigis, ad mortem protrudis, nefariis belluis obiicis dilectissimum Christo caput! Iam intelligo quid velis, o divine doctor, quando dicis: (*a*) εν τουτω εγνωκαμεν την αγαπην, οτι εκεινος υπερ ημων την ψυχην αυτου εθηκε. και ημεις οφειλομεν υπερ των αδελφων τας ψυχας τιθεναι. *Per hoc novimus charitatem Dei, quod ille animam suam pro nobis deposuit; nos igitur debemus pro fratribus animas deponere.* Macte tua virtute, tuo exemplo viam ad vitam monstras! & doces verum ecclesiae doctorem & verbis & factis populum instruere debere. *Facta*

(*a*) I. Ioh. III. 16.

re. *Facta mea, non dicta vos milites sequi volo: nec disciplinam modo sed exemplum etiam a me petere*, Valerius consul (*a*) quondam aiebat; & quilibet strenuus cœlestis exercitus dux idem sentit. Odit enim summus imperator & arcet profanum illud theologorum vulgus, quod est ignava opera at philosopha sententia, ut cum Gellio loquar. Odit omnes qui de Deo rebusque divinis disserere, quam divinae suae naturae consortes esse malunt. Rectius Iustinus (*b*) ου λεγειν μονον, inquit, αλλα και ειναι ποιει χριστιανους licebit addere και θεολογους. Talem se praestet, oportet theologus, qualis haberi vult; non videatur solum sed re vera sit divinus magister. Talis plane Ioannes noster erat, tales ceteri apostoli, tales prophetae, qui omnes verbis & factis docere quam dicere maluerunt. Hos imitare, quisquis theologi nomen habes, hic opus, hic labor est! hic te virum & christianum praestes. Hic Rhodus hic saltus.

Εις φυγην αιδεσθεις ετραπετο. *Prae pudore in fugam versus est.*

Forsan & *pedibus timor anxius addidit alas.*

Hinc Apostolus perterritum hunc insequutus adolescentem, his verbis affabatur: *Quid me patrem tuum, fili, fugis inermem, seniculum? Miserere mei, fili, noli timere.* Disce, quisquis amas peccata, cautius mercari, & si fugere nunquam vis, scelera fuge. Vis nihil unquam timere, Deum time, ita ut decet.

Hem quanta felicitas est

Nil conscire sibi nulla pallescere culpa,

nil quicquam formidare, semper tuto ac placide, con-

F

scien-

(*a*) apud Liv. l. VII. 32. (*b*) in Paraen. l. ad graecos p. 25.

ſcientia non obſtrepente quieſcere! aut nulla datur in hoc orbe fortuna, aut ea demum eſt vere proſperrima!

Quid luctuoſius quaeſo eſt quam ſurdo verbere caedi
Occultum quatiente animo tortore flagellum?

Quid calamitoſius quam ſi quis perpetuo putat pœnam ſemper ante oculos verſari? Hoccine vel audaciſſimum redderet timidiſſimum? Teſtis eſt ferociſſimus ille latronum dux , qui ſolo vultu Ioannis obſtupefactus in fugam declinavit, ipſiusque conſpectum ſuſtinere non potuit. Vis ergo nunquam quidquam timere, vis ſemper laetus nec unquam triſtis eſſe, pie vive. Recte Bias, interrogatus quae res in vita metu careret, reſpondit: *Bona conſcientia*; illa enim perpetuum habet gaudium, & ſecundae fortunae faſtigium capit, & adverſae iugum patitur. Hinc, *Cicero pro Cluentio* : *ſi dicit optimorum conſiliorum atque factorum teſtis in omni vita conſcientia nobis fuerit ; ſine ullo metu ſumma cum honeſtate vivemus.* Haec gentilis ſperat, quid chriſtianus expectabit? certe ſi ipſe fingere vellet, neque plura bona reminiſci, neque maiora poſſet conſequi, quam pura tribuit conſcientia. Quod ſi bene tibi cupis, & omnia quae tibi contingunt, in tua quaſi poteſtate poſita eſſe vis, id unum age, ut ſis

Integer vitae ſcelerisque purus,

nec vel leviſſima peccati ſpecie conſcientiam macules. *Finis enim mandati eſt charitas ex mundo corde, & conſcientia bona & fide minime ſimulata.* (a)

ô Ie

(a) 1. Tim. I. 5.

ο δε εδιωκεν ανακρατος επιλαθομενος της ηλικιας της εαυτου. At *Ioannes totis viribus concito cursu, aetatis oblitus hominem persequi instiitit.*

Vide quam verum sit illud Propertii
Verus amor nullum novit habere modum.

Magnum & periculosae plenum opus aleae apostolus conatus erat, dum latronum speluncas intraverat, & a perditissimis hominibus capi se siverat. Potuisset tunc data vel & arrepta occasione se subducere, violentisque sicariorum manibus elabi. Sed noluerat, id potius unum precatus, ut crudelissimo eorum sisteretur duci. Apparet fere divinum hunc heroem oblivione sui fuisse captum, prae impenso erga iuvenem amore. Quid si enim aggreste illud hominum genus, & maxime inconditum & ad praesentanda supplicia praeceps in belluas se convertisset, ipsumque Ioannem trucidasset, vel & discerpsisset? sed mortem non formidat amor, alienae saluti intentus, suique oblitus. Hinc apostolus armatum latronum fugam capessentem insequitur, quanta potest celeritate, nec prius de velocissimo cursu desistit, quam perterritum iuvenem ad Deum reduxisset. Adeo amantibus nihil est arduum, nullus labor difficilis, periculosissimus licet sit, & vires naturae multum superet. Omnia vincit amor, & molestissima & durissima quaeque. Nullas ille molestias sentit, nulla nimiae celeritatis (quae festinatio parere solet) incommoda. Moveantur licet anhelitus, mutentur vultus, ora torqueantur, amore captus non curat. Omnia

ſibi dulcia, & amariſſima ducit ſuaviſſima. *Nullo modo inquit Auguſtinus, oneroſi ſunt labores amantium, ſed & ipſi delectant. Nam in eo quod amatur; aut non laboratur, aut labor amatur.* Nam quod deſiderat amans, ſemper ſe inventurum putat; neſcit modum, nec aliud cogitare poteſt, quam quod diligit. Non accipit de impoſſibilitate ſolatium, nec ex difficultate remedium.

Non regi curat, patiturve frena
Haud timet mortem, cupit ire in ipſos obvius ignes.

Vt cum Seneca Tragico loquar. O ſi nos invicem amore amplecteremur, quam facile divina lege definita ſequeremur!

Τι με φευγεις, τεκνον τον σαυτȣ πατερα. Ita comparata, ſunt hominum ingenia, ut quae fugere debebant, ambabus quaſi manibus arripiant, quae vero arripere oportebat, fugiant.
Saepe *vident meliora probantque ſed deteriora tamen ſequuntur.* Quoties gallinae inſtar, coeleſtis Pater nobis accinit: Venite venite ad me! reficiam vos, & requieſcere ſi vultis, vos refovebo. Sed miſeri mortales volitare in mundo, quam e mundo malumus.

Quaerenda pecunia primum
Virtus poſt nummos

Quaerenda eruditio primum, quaerenda fama & gloria primum, & tunc caetera, quae Dei ſunt, adiici poterunt.

runt. *Vide, Angle, scribit Picus Mirandula, quae nos insania teneat! Plus possumus amare Deum, quam quaerere. Amando plus proficimus, quaerendo plus laboramus: maluimus tamen semper quaerendo, nunquam invenire, quam amando possidere, quod nisi amaremus, frustra inveniretur.* Nam nusquam minus esse volumus, quam ubi sumus, nusquam minus sumus quam ibi ubi sumus. Corrigat nos Deus & suo spiritu regat! & sequemur.

Τι με φευγεις &c. Quam pathetica haec est oratio! quot verba tot habet pondera. Spirat amorem sane tenerrimum, dum iuvenem corruptissimis moribus, filium vocat; ut & in epistolis suis, eodem spiritu affluentibus, christianos appellare solet. Dicit se patrem amicissimo & maxime paterno animo advolasse, ut praecipitem eius animum ab interitu revocaret. Staret ergo, nec effugeret, cui tam bene cuperet. Timorem porro pavido excutit animo, dum se sine armis & absque hostili mente accurrisse ait; utque eo securiorem redderet, imbellem & aetate iam confectum senem fatetur. Bono igitur animo & imperterrito esset. Deinde sui misericordiam movet, ut perversam mentem eo facilius flecteret, Miserere, inquit, mei, mi fili! Quis illum affectum plene capit? quis ad imum commotorum viscerum fundum penetrabit? Videor mihi videre malas venerabilis senis madentes, & maleficum iuvenem effusius flentem. Solatur igitur apostolus poenitentem, & commutatum animum erigit, spem vitae ac salutis adhuc superesse clamans. Et ut multam fiduciam adderet, Ego, inquit, pro te rationem Christo

 reddam.

reddam. Et quod maius, imo maximum: Si fit opus, adiungit, tuam mortem lubentissime sustinebo. Et ne qua diffideret, adiungit: Animam meam pro tua vicariam dabo; id qnod in I. sua epistola III. 16. christianorum esse officium, ostenderat. Quis quaeso mortalium, pleniora divinae charitatis verba audivit? haeccine ad ima pectoris penetralia descenderent, & lacrymarum imbrem iuveni excuterent? Denique dum Ioannes sermonem finit, & non alio quam divino instinctu, & christi mandato ad eum se delatum esse affirmat, nonne cœlesti consilio attonitum tremuisse & horruisse ducem putas? Clemens noster, refert eum vultu in terram demisso, substitisse, proiectisque armis acerbe flevisse. Sed dum substitit certe

Obstupuit, steteruntque comae, vox faucibus haesit.

Membra metu erant debilia, animus pavore fluctuans robustae alioquin manus infirmae, pectore nihil quicquam consilii consistere poterat. Iacent iam scelestissima arma, silent violenti clamores, ex lupo fit ovis, ex leone agnus. Nefaria antea bellua iam in hominem conversa, in amplexum senis irruit, columbae instar gemit, lamentatur, salsissimis lacrymis largissime profusis. Et Ioanni ad flebiles hos singultus sine dubio lacrymae obortae pleniores, perpetui tenerrimi affectus comites. Tantam vim αποδειξις πνευματος και δυναμεως habet! Belluas in homines, homines in christianos convertit. Qualis enim orator, talis plerumque auditor. Si ille amore Dei flagrat, & hic ut plurimum accensus ardet. Si ille friget & hic tepet. Scite Horatius,

Vri-

Vt ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus. Si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi.

Qui, quaeso, frigus aliorum accendet ecclesiae antistes, si ipse totus frigidus tremit & horret? Quantus quantus divini verbi minister, nihil nisi ignis sit, si pectora aliorum inflammare velit. Eleganter, ut solet, Cicero hoc effert: (a) Vt nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quae nisi admoto igne, ignem concipere possit; Sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quae possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam & ardens accesserit. Ora itaque, etiam atque etiam ora Deum, ut Spiritum Eliae tibi largiatur, ut ille suo afflatu te excitet atque inflammet, quo frigidas hominum mentes eo magis accendere, accensas vero, eo felicius alere queas. Atque ita Dei adiutus favore vibra fulmina, eiaculare faces, sintque verba tua camini ardentes.

Δεξιαν ως υπο της μετανοιας κεκαθαρμενην καταφιλων. *Novum idque grande amoris testimonium.* Magnum fuisset & satis eximium affectus τεκμηριον si dexteram dextrae iunxisset, iam vero iunctam etiam usculo dignatur. Scilicet antiquissimus hic variorum populorum ritus, dextram dare & accipere pro sancto amicitiae foedere coniungendo. Id quod ad nostrum Ioannem apte satis quadrare, quisque videt. Nisi forsan, reconciliatae gratiae dextram eius fuisse indicem, aliquis malit. Ita Philotas apud Curtium: (a) Cur, inquit, rem delatam ad me tacuisti? cur tam securus audisti?

(a) l. VI. c. 10, 11.

disti? hoc qualecunque est, confesso mihi ubicumque es Alexander, remisisti: *dextram tuam amplexus reconciliati pignus animi*, convivio quoque interfui. Et Ioseph. XV. 2. Post hoc colloquium ad reconciliationis fidem datis vicissim dextris discesserunt, omni, ut tum videbatur, suspicione sublata.

Κατεπαδων ουτω την γνωμην *animum eius demulcens*, id quod orationibus ieiuniis & piis colloquiis factum esse priora ostendunt verba. Quod autem nulla hic poenitentiae publicae fiat mentio, ex eo tuto, puto, colligimus, primo & secundo post Christum seculo, diuturnum illum poenirentiae rigorem nondum viguisse. Id quod agnoscit Petavius, teste Dallaeo (*a*) asserens *publicam poenitentiam, neque primo Christianismi seculo neque maiori secundi parte praeceptam fuisse.* Vid. Morinus l. IX. de administrat. S. poenit. c. XX. & Petavius l. II. de poenit. c. VIII. nec non Iac. Hottingerus Exercit. de poenitentia primitivae nec non Rom. Eccl. & alii;

Ε... προτερον απηλθε, ως φασι, πριν αποκαταστησαι τε εκκλησια. *Quantam curam, quantum studium apostolus in convertendo iuvene posuerit, e dictis sole meridiano clarius elucet.* Nunc quam enixus sit, conversum Deo totum sacrare, paucissimis exponemus. Clemens noster ita: και δαψιλεσι μεν ευχαις εξαιτουμενος, συνεχεσι δε νηστειαις συναγωνιζομενος, ποικιλιαις ρησεσι λογων κατεπαδων αυτου την γνωμην. Oravit scilicet saepissime cum illo, & ieiunavit & salutaria colloquia instituit, denique nihil omisit, quod ad alendam carissimi iuvenis fidem quidquam conferre posset. Et sane nihil est fideli ecclesiae Antistiti magis con-

(*a*) de Maiest. Civ. Autorit. circa sacra §. 13. 7.

gis conveniens, quam ut omne suum consilium, studium, officium, operam, laborem & diligentiam ad corroborandos confirmandosque bonorum animos, lubens conferat. Crebras itaque effundet preces Deumque venerabitur supplex, ut suam gratiam sermonibus & auditorum cordibus infundere magis magisque velit, quo illi, Christi exemplo edocti, cum aetate in sapientia omni insignes profectus faciant, & illi & hominibus longe sint acceptissimi. Ita Paulus: Et hoc oro, inquit, (a) ut charitas vestra (o charissimi Philippenses) adhuc magis ac magis exundet in cognitione & omni sensu, ut exploretis, quae discrepant, ut sitis sinceri & inoffenso cursu pergatis ad diem usque Christi, repleti fructibus iustitiae, qui sunt per Iesum Christum ad gloriam & laudem Dei. Non enim sufficit, plantatas esse coelestes plantas; & stabiles fiant, oportet, & immotas, & eminentes in opere Domini semper, ut cum Paulo (b) loquar. Quemadmodum vero, visitando hortos sedulo, incrementum plantarum citius cognoscitur & affertur; ita visendo auditorum domos piosque sermones cum illis conferendo, multum proficere ecclesiam sentimus. Praeivit & hic, cum Ioannes tum laudatus Paulus, (c) exemplo suo, qui unumquemque auditorum suorum, ut parer liberos suos hortatus & consolatus est. (d) Rite *Calvinus* alicubi: *Haud excusabilis est*, inquit, *eorum negligentia, qui habita una concione, quasi pensum solverint, in reliquum tempus secure degunt, ac si in templo vox eorum inclusa esset, cum inde egressi, prorsus obmutescunt.* Et *Bucerus* in Matth. X.

 Non

(a) Phil. I. 9. 10. 11. (b) 1. Cor. XV. 5. (c) Act. XVII. 17. XX. 20. (d) 1. Thess. II. 9.

Non satis est, dicit, Pastori concionem habuisse; sed in modum seduli & fidelis imperatoris, dies noctesque praefectum Dei oportet circumspicere, sollicite occasionem captare, nihil intentatum relinquere, quo dolo, quoque virtute, captas a satana mentes, Christo afferat, regnique Dei pomeria proferat. B. *Brunnemannus* : (*a*) Vigiles ecclesiae non tautum in templis debent dicere; sed & in aedibus privatorum & ecclesias domesticas visitare, & ibi rationem fidei rogare, & domesticos informare, quomode erga Deum, & erga se invicem se gerere debeant. Si haec privata visitatio domesticarum ecclesiarum negligatur, Pastor reus fit mortis aeternae, omnium earum animarum, quae per hanc negligentiam pereunt, & per privatas admonitiones domi factas ad mentem saniorem reduci possent. Faxit Deus ut mundae sint manus nostrae a sanguine, nec nostram conscientiam vel nostris, vel alienis peccatis contaminemus ! utque aliquando ex immundo hoc mundo deducti, una cum incontaminato agno, servatore nostro, gloriosissime triumphemus.

Plura & accuratiora addere vellem si possem, nec partim nimia temporis angustia (ob inopinatum & instans iter) partim aliis causis, quas silentio praetermittere, quam fusius enarrare malo, praeter spem coactus, coronidem huic disquisitioni imponere deberem.

(*a*) Iure eccles. cap. VI. Memb. 2. n. 1. p. 155. & num. 5. p. 158.

